

quia docet, Deum esse summum hominis bonum, a cuius possessione tota ipsius felicitas dependet.

§. 2. Ex his axiomatibus per se fluit,

I. *Boni civis religionem nunquam turbare rempublicam propter ax. 1. & 2. ut proinde omnis societatis humanæ perturbator satis prodat, se vel nullam vel falsam habere religionem.*

II. *Religionem naturalem conservare societates civiles propter ax. 3. ut ergo atheismus & superstitio, &, qui illis respondent, Epicureismus ac Fanaticismus societates civiles dissolvant.*

III. *Imperantem civilem subditos quidem ad religionem permovere, minime tamen mediis coactivis impellere posse propter ax. 4. ut tamen ei liceat eos, qui Dei cognitionem abnegant, civitate sua expellere, propter antecedens confectarium*

IV. *Religionem naturalem vitæ quidem hujus felicitatem commonstrare propter ax. 5. ut tamen per eam ad æternam salutem pervenire non detur per ax. 6. Id quod observandum contra Naturalistas.*

V. *Religionem tamen naturalem esse manuductionem ad religionem christianam, ostendendo imprimis perfectissimæ religionis notas. Hæc enim commonstrare debet ea omnia, quæ ratio imbecillior & sibi relicta attingere haut valet.*

§. 3. Perfectissimæ autem religioni competunt sequentia criteria,

K 3

I. Co-